

Idipsum patet ex c. *Constitutus*, 15. ubi Glossa \bar{y} . *Ad gradum sacerdotii*. et Innocentius, et Abbas n. 5. *de Convers. conjugat.*; Sanchez, lib. X. *de Matrim.* disp. 11. n. 16. citans plurimos alos, estque communis.

33. *Conjugatus etiam ad primam tonsuram, vel hac jam recepta ad ordines minores, promoveri nequit.* — Resp. II. Conjugatus etiam ad primam tonsuram, promoveri non potest; aut, si hanc antea jam recepisset, nequit is ad ordines minores promoveri, nisi de Consensu uxoris voventis continentiam, ut supra, Ita Glossa in c. *Conjugatus*. \bar{y} . *Ad sacros* et Joan. Andreas ibid. n. 3. *de Conversion. conjugat.* et alias Glossa cap. ult. \bar{y} . *Definitum de Temporib. Ordination.* in 6; Abbas cap. II. n. 3. h. t. Pirhing, eod. n. 2; Barbosa in *Extravag. Antiquæ*. Joannis XXII. *de Voto*. n. 4; Sanchez, lib. VII. *de matrim.* disp. 38, in 6, cum aliis. Prior pars patet ex cap. ult. *de Temporib. ordinat.* in 6 ubi inter alia, sub pœna suspensionis per annum, prohibetur episcopo, et cuivis alii, « ne — clericalem præsumat conferre tonsuram conjugato, nisi volenti religionem intrare, aut ad sacros ordines promoveri; prout est sacris canonibus definitum. »

34. *Nisi ipsi votum continentie antea præstitierint.* — Et notanter additur, « prout est sacris canonibus definitum. » Nam, quando conjugatus vult promoveri ad primam tonsuram, aut ordines minores, præter consensum suæ conjugis religionem ingredientis, aut in sæculo castitatem voventis, debet antea episcopus ab ipso exigere votum continentie. Glossa can. *Episcopus benedictionem*. dist. 77. \bar{y} . *Sequestrato*; Joan. Andreas c. *Conjugatus*. n. 4. et Abbas ib. n. 2. *de Conversion. conjugat.*; Sanchez cit. disp. 28 n. 6. et alii. Rationem dant, quia uxoratus non potest ad primam tonsuram, vel ordines minores promoveri, nisi etiam intendat promoveri ad sacros ordines, cap. ult. *de Temporib. ordination.* in 6. juncto concilio Tridentino proxime citando. Ne igitur ante susceptionem sacrorum ordinum coniungat, uxoratum jam initiatum minoribus ordinibus suæ conjugis se immiscere, debet ab ipso exigere votum continentie.

35. *Et cur tale votum exigatur ab uxorato; non vero a cælibe, ad ordines minores promovendo?* — Nec obstat, quod a cælibe, seu non uxorato, ad primam tonsuram, vel ordines minores promovendo, tale votum non exigatur. Disparitas enim est: quia cælebs, seu

non uxoratus, cæteroquin jam tenetur caste vivere; cum etiam laici soluti ad istud teneantur, can. *Nemo*. et can. *Meretrices*. 32. q. 4. unde ad istud non oportet exigere speciale votum. Idque eo magis, quia promotus ad ordines minores habet a jure licentiam contrahendi matrimonium, si non velit stare in clericatu, can. *Si qui vero*. et can. *Si quis eorum*, dist. 32 et cap. 1. ac seqq. h. t. ac proinde hoc ipso non debet ordinator ab illo exigere votum continentie, ne eum privet beneficio juris concedentis, ut si velit, in posterum contrahere matrimonium valeat. Secus dicendum de uxorato ad ordines minores promoti qui nisi votum continentie emitteret, ante susceptionem ordinum majorum licite posset ad suam uxorem accedere.

36. *Et nisi conjugatus ille ordinetur de consensu uxoris continentiam voventis.* — Alteram partem probant Abbas et Pirhing, ubi supra, ex cap. 2. h. t. ubi generaliter prohibetur, « ne deinceps clericus conjugatus ad sacros ordines admittatur; nisi forte castitatem voveret perpetuam. » Aiunt enim, quod *Sacros ordines*, ibidem capiatur generaliter ut comprehendat omnes ordines, etiam minores: nam et hi possunt dici *Ordines Sacri*, quatenus sunt sacramentum novæ legis, dignæque recipientibus conferant gratiam, ac specialem potestatem ministrandi in Ecclesia Dei. Verum melius dicitur cum Barbosa loc. cit. n. 5. et Sanchez d. disp. 38. in 6, quod in relato cap. 2. h. t. interdicitur uxoratis promotio duntaxat ad ordines sacros sive majores: at vero in cap. ult. *de Temporib. ordinat.* in 6. eidem etiam prohibeatur promotio ad primam tonsuram, ordinesque minores. Accedit ratio hujus posterioris prohibitionis, quia ordines minores non nisi sub respectu ad majores conferendi sunt, cit. cap. ult. *de Temporib. Ordinat.* in 6. juncto concilio Trident. sess. 23. cap. 2. ubi dicitur, ministrorum ordines ita in Ecclesia esse distributos, ut qui jam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent. » Unde etiam prima tonsura non est conferenda illis, « de quibus probabilis conjectura non sit, eos non sæcularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstant, hoc vitæ clericalis genus elegisse; » prout loquitur concilium Tridentinum, cit. ses. 24, cap. IV *de Reform.* Talis autem probabilis conjectura nequit haberi de clericis uxoratis, nisi vovendo castitatem, ut supra, ad ordines etiam majores aspirant.

37. *Solvitur instantia.* — Nec obstat, quod idem concilium Tridentinum sess. 23. cap. 17. *de Reform.* provide decreverit, ut functiones ordinum minorum, ne ab hæreticis tanquam otiosæ traducantur, non nisi per constitutos in dictis ordinibus exerceantur, quibus idcirco congrua stipendia censuit assignanda. Et posmodum subjungat. « Quod si ministeriis quatuor minorum ordinum exercendis clerici cælibes præsto non erunt, suffici possint etiam conjugati, vitæ probatæ, dummodo non bigami, ad ea munia obeunda idonei, et qui tonsuram, et habitum clericalem in Ecclesia gestent. » Resp. enim, hisce verbis concilium quidem concessisse, ut in defectum clericorum cælibum possint effici clerici conjugati, de quibus cap. un. h. t. in 6. fit mentio: non autem, ut jam uxorati in præfatum finem ordinentur, contra sacros canones jam relativos.

38. *Conjugatus ad ordinem sacrum absque licentia uxoris transiens, nequit in suscepto ordine ministrare, aut beneficium, etc., acquirere: nisi religionem canonicè fuerit ingressus.* — Resp. III. Si conjugatus ad ordinem sacrum absque licentia uxoris transierit, nequit is durante matrimonio, vel etiam hoc per obitum, aut professionem religiosam conjugis soluto, in suscepto ordine ministrare, nec ad superiores ordines provehi; nec etiam poterit ad aliquod beneficium, vel officium ecclesiasticum promoveri, nisi aliquam de religionibus approbatis canonicè fuerit ingressus. Ita textus in cit. *Extravag. antiquæ*. Joannis XXII. *de Voto*, juncta Glossa, et Barbosa in *Collectan.* ibid. et doctoribus passim.

39. *Maritus absque licentia uxoris ad ordines sacros promotus, potest ab ista ad consortium conjugale revocari.* — Resp. IV. Maritus absque licentia uxoris ad sacros ordines promotus, potest ab ipsa ad consortium conjugale revocari: ita tamen, ut nec debitum petere possit, sed duntaxat reddere teneatur; nec mortua sua conjugè ad alias nuptias transire valeat, et si de facto contrahat matrimonium, illud sit nullum. Ita proxime cit. *Extravag. Antiquæ*. § fin. et ibi Glossa \bar{y} . *Consummare*. et Barbosa, \bar{y} . 13. Sanchez lib. 7. *de Matrim.* disp. 38 n. 20. 21. et seqq. et alii. Ratio prioris partis est, quia vir per susceptionem ordinis sacri non potuit præjudicare juri, quod habuit uxor in corpus ipsius, juxta Apostolum I *Corinth.*, VII, 4. Etiam si bona fide assumpsisset sacros ordines, putans, conjugem jam fuisse mortuam. Glossa can. *Si quis pecunia*.

dist. 79. \bar{y} . *Non apostolicus*: istud intelligens, nisi conjux induci possit ad continentiam observandam. Sanchez cit. lib. 7. disp. 38 n. 12. allegans alios.

40. *Ita tamen ille nec debitum petere, nec mortua conjugè aliud matrimonium contrahere valeat.* — Altera pars ex eo probatur. Quia vir per receptionem ordinis sacri, obstrinxit se voto castitatis, annexo sacris ordinibus: ac proinde tenetur istud servare, in quantum lex matrimonii permittit; videlicet debitum conjugale non exigendo, licet illud reddere possit, atque teneatur. Et quia hujusmodi votum est solemne, hinc istud impedit matrimonium in posterum contrahendum, ac dirimit contractum, cap. un. *de Voto*. in 6.

41. *Clerici conjugati an possint habere beneficium ecclesiasticum? Nequeunt istud obtinere absque legitima dispensatione.* — Quæritur III. Utrum clerici conjugati possint habere beneficium ecclesiasticum? Resp. I. Clericus conjugatus nullum potest obtinere beneficium, quantumvis modicum, absque legitima dispensatione: nisi unicam, eamque virginem duxerit (hoc est, non sit bigamus) simulque eadem consentiente, pariterque vovente, castitatem voverit perpetuam. Ita communis; estque expresse decisum cap. II. h. t. illis verbis: Provideas attentius, ne deinceps clericus conjugatus ad ecclesiastica beneficia, vel sacros ordines, aut administrationes ecclesiasticas admittatur: Nisi forte castitatem voverit perpetuam, et qui unicam et virginem habuisset uxorem. » Ubi proinde Summarium post Joan. Andream, et Abbatem, sic habet: « Conjugatus ad administrationem, et ad ordinem ecclesiasticum, vel beneficium non promoveatur, nisi castitatem promittat, et non sit bigamus. » Concordat c. *Cum decorem*. 8. h. t. et *Extravag. Antiquæ*. Joannis XXII. juncta Glossa \bar{y} . *Nec ad aliquod et \bar{y} . Officium Ecclesiasticum. de Voto*.

42. *Nisi consentiente pariterque vovente conjugè, castitatem voverint perpetuam. Dicitio Nisi est exceptiva.* — Additur tamen in conclusione, « nisi unicam eamque virginem duxerit, simulque eadem consentiente, pariterque vovente, castitatem voverit perpetuam. » Nam hisce stantibus, riteque observatis, sicuti clericus conjugatus licite promovetur ad ordines, etiam sacros, juxta dicta n. 31. ita etiam licite, atque sine alia dispensatione, potest promoveri ad beneficium ecclesiasticum: ne forsitan cæteroquin in opprobrium suscepti status clericalis mendicare cogeretur. Atque

istud clare indicat dictio, *Nisi*, in proxime allegatis juribus contenta: nam hæc dictio de sui natura est exceptiva, et in effectu adversatur præcedentibus; ut c. *peccatum*. 4. de *Reg. Jur.* in 6. cum similibus. Et si oratio negativa præcedit, affirmat Barbosa de *Dictionib. usu frequent.* Dict. 217. allegans plurimos alios.

43. *Isque amplius probatur. Clericus conjugatus præter privilegium canonis, et fori, habetur pro mero laico.* — Accedit ratio conclusionis sic explicatae, tum quia præter privilegium canonis, et fori (modo superius jam declarato) clericus conjugatus habetur pro mero laico, nulloque privilegio clericali gaudet, cap. un. *¶ In cæteris.* h. t. in 6. ac proinde nec beneficium ecclesiasticum obtinere potest. Gonzalez ad reg. 8. Cancellar. gloss. 5 n. 68. post Joan. de Selva part. I. de *Beneficiis.* quæst. 7. n. 17 et part. III. q. 5. n. 19; tum quia clerico in ordinibus minoribus constituto, et matrimonium contrahente, vacant ejus præhabita beneficia ipso jure, cap. 1. et c. *Quod a te.* 3. et c. *Diversis.* 5 h. t. Ergo nec in posterum talia ipsi sunt conferenda, propter incompatibilitatem status conjugalis cum beneficio, conformiter dictis supra § 1. n. 6. et 7.

44. *An possit obtinere pensionem.* — Et quæ nunc dicta sunt de beneficio, procedunt pariter de pensione ecclesiastica, seu quæ titulo clericali conferri solet. Sanchez lib. VII. de *Matrimon.* disp. 44. n. 9; Barbosa cap. II. h. t. Secus dicendum de pensione, quæ datur pro ministerio mere temporali; ut puta, pro pulsandis organis, aut campanis, vel pro gerenda advocata Ecclesiæ: quia pro talibus ministeriis bene potest clericus conjugatus habere stipendium ab Ecclesia, non tamen in titulum. Abbas c. *Joannes.* n. 7. et 8. h. t. citans Hostiensem; Sanchez cit. dist. 44. n. 2. et 4; Barbosa d. n. 2. et alii. Concordat concilium Tridentinum sess. 23 cap. XVII. de *Reform.* ubi clericis conjugatis, functiones quatuor ordinum minorum exercentibus, jubet congrua stipendia assignari, quia hæc non dantur in titulum. Nisi dicere velis, istud fieri ex speciali dispensatione apostolica, in dicto concilio promulgata, conformiter illico dicendis. Unde

45. *Clericus conjugatus, castitatem perpetuam vovens quaecumque beneficium obtineat, requiritur dispensatio summi pontificis.* — Resp. II. Ut clericus conjugatus castitatem perpetuam, ut supra, non vovens, quaecun-

que beneficium ecclesiasticum obtineat, requiritur dispensatio summi pontificis, nec sufficit dispensatio episcopi, etiam loquendo de beneficio simplici. Ita Abbas Panormitanus cit. c. *Joannes.* n. 7. h. t. Angelus, *¶ Beneficium.* n. 15.; Sanchez. lib. VII. de *Matrim.* dis. 42. n. 18; Gonzalez, ad Reg. 8. Cancellar. gloss. 2. n. 68. et 69.; Barbosa cap. II. n. 2. h. t.; Garcias part. VII. de *Beneficiis.* cap. v. n. 4; Flamin. Parisius, lib. 4. de *Resignat. benefc.* quæst. 2. n. 28. citans magis communem: quamvis loquendo de beneficiis simplicibus quæ non sunt dignitates, non pauci velint, episcopum posse dispensare; uti videre est apud Abbatem loc. cit. et Sanchez n. 17. Ratio conclusionis est, quia episcopus non dispensat contra jus commune, nisi in casibus sibi a jure concessis: ut can. *Amputato.* c. 26. q. 2. juncta Glossa fin. ibid. et c. *Dilectus,* ubi Glossa *¶ Permissa de Temporib. ordinat.* cum similibus. Atqui talis dispensatio, etiam quod beneficium simplex, nullibi reperitur episcopo concessa; imo potius videtur ipsi prohibita in cap. II. et c. *Diversis.* 5 h. t. ergo.

46. *Nec sufficit dispensatio episcopi, etiam quoad beneficium simplex.* — Dices. In c. *Joannes.* 7. h. t. Pontifex decidit clericum conjugatum non esse cogendum ad deferendam tonsuram clericalem, « dummodo nullum percipiat beneficium; » ergo supponit pontifex posse clericum ex dispensatione episcopi habere aliquod beneficium, saltem simplex. Respondent Glossa fin. ibid. et doctores passim, Capitulum istud verificari ex dispensatione papæ, non autem ex dispensatione episcopi. Nam quia textus supponit, clericum conjugatum posse habere beneficium, non autem declarat modum; intelligi debet ex legitima dispensatione papali, ut sic concordentur jura juribus. Abbas, Sanchez, ut supra alioquin enim, si sufficeret dispensatio episcopi, immerito papa in c. *Diversis.* 5. h. t. jussisset, ut beneficia ecclesiastica scienter per episcopum (et sic ipso facto dispensantem) clericis conjugatis collata, per superiorem suum eisdem clericis admerentur.

47. *Episcopus dispensat in beneficio simplici cum homicida, ejusve irregularitate; non vero cum clerico conjugato: et cur?* — Urgebis: Episcopus dispensat in beneficio simplici cum homicida, et irregularitate ipsius, c. *Heureus.* de *Cleric. pignant, in duell.* et c. *Ad audientiam.* 12 et c. *Conturbatur.* 8. de *Homicid.* Idem ergo poterit in proposito. Resp. neg.

consequent. Quia istud (loquendo de homicidio casuali, ut in juribus præallegatis est) expresse per sacros canones episcopis concessum: non illud. In materia vero dispensationum, quæ est exorbitans, non debet argui de casibus permissis ad non permissos, etiamsi permissi sint majores; juxta reg. 28. Juris in 6. « Quæ a jure exorbitant, nequam ad consequentiam sunt trahenda, » cum concordantiis Joan. Andreas c. *Quæ a jure.* n. 9. de *Reg. jur.* in 6; Abbas, Sanchez, ubi supra; estque jam dictum superius, lib. I. tit. II. de *Constitutionibus.* n. 421. 451. et 454.

TITULUS IV.

De Clericis non residentibus in ecclesia, vel præbenda.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Cum beneficium ecclesiasticum detur propter officium, ut dicitur cap. ult. de *Rescript.* in 6. non sufficit clericos vitæ honestate fulgere, mulierumque consortia vitare, nisi etiam suum præstent officium ratione recepti beneficii sibi incumbens. Quia igitur istud præstare non valent, nisi resideant in ecclesia, vel præbenda, ad quam assumpti fuerunt, merito præsens titulus prioribus subnectitur: pro cujus clariori intelligentia sit.

§ I.

PRÆMITTUNTUR GENERALIA DE RESIDENTIA CLERICORUM BENEFICIARIORUM.

2. *Residere in Ecclesia, vel præbenda quid?* — Quæritur I. Quid sit, residere in Ecclesia, vel præbenda; quibusque modis contingat? Resp. cum communi: *Residere* hoc loco dicitur is, qui ferme continue commoratur in loco beneficii sui, causa officii, seu servitii ecclesiastici personaliter præstandi. Dicitur imprimis, « ferme continuo commoratur in loco beneficii. » Nam, qui « aliquantisper tantum absunt, ex veterum canonum sententia non videntur abesse, quia statim reversuri sunt; » prout loquitur sacrosancta Synodus Tridentina, sess. 23 cap. I. de *Reform.* Idemque desumitur ex can. *Præsentium.* et can. *Si quis in clero* 7. q. I. cum similibus.

3. *Residere nihil aliud est, quam deservire*

III

Ecclesiæ in officiis divinis. — Dicitur secundo, « causa officii, seu servitii ecclesiastici, » etc. Quia onus residentia, clericis beneficiariis incumbens, est intelligendum cum effectu, c. *Relatum.* 4. h. t. Quinimo, ut notat Fagnanus in c. *Conquerente.* n. 16. h. t. et c. *Licet.* n. 23. de *Præbend.* Residere nihil aliud est, quam deservire Ecclesiæ in officiis divinis, per textum in cit. c. *Conquerente.* h. t. ibi: « Vel quod eidem Ecclesiæ non deserviat. » Unde, si clericus personaliter quidem existat in loco beneficii, sed officium suum nunquam præstet (puta, si canonicus, cæteroquin præsens in loco Ecclesiæ cathedralis, vel collegiatae, nunquam accedat chorum, et capitulum) non censetur residere. Pirhing h. t. n. 1. Quid enim prodest clericorum præsentia in loco, ex quo Officiis divinis non adsunt, propter quæ sunt beneficia constituta? Glossa cap. un. *¶ Præsentis.* h. t. in 6.

4. *Existens in loco beneficii, sed nihil præstans, residet materialiter, non vero formaliter.* — Nisi dicere velis cum Barbosa ad rubric. h. t. n. 8. talem residere duntaxat materialiter, cum non maneat in loco beneficii cum effectu: hoc est, cum exercitio muneris personalis, ad quod ipsa residentia ordinatur, et de qua impræsentiarum est sermo.

5. *Beneficium datur propter officium; nec est conferendum, nisi residere valenti. Residentia debet esse laboriosa, non otiosa.* — Dicitur tertio, « personaliter præstandi. » Siquidem nullus ad beneficium ecclesiasticum assumendus est, nisi qui « residere in loco, et curam ejus per ipsum valeat exercere, » juxta textum expressum, cap. III. h. t. Quia enim beneficium datur propter officium, cap. ult. de *Rescript.* in 6. hinc residentia accipienda est in eum sensum, ut sit laboriosa, non otiosa. Fagnanus c. *Ex parte.* n. 15. h. t. Atque idcirco omnes, et singuli beneficiati, spectato jure communi, tenentur ad residentiam personalem; id est, ad personale ministerium in loco beneficii præstandum.

6. *In beneficiis ecclesiasticis locum non habet regula potest quis per alium, quod facit facere per se ipsum. Et cur?* — Neque impræsentiarum locum habet regula 68. Juris in 6. « Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum. » Patitur enim regula hæc exceptionem, seu fallentiam, quoties electa est industria, et adest personæ, cui quidpiam committitur: ut cap. ult. § *Is autem de Offic. judic. delegat* et c. *Is cui.* 12. eod. in 6. Sic autem in beneficiis ecclesiasticis censetur